

## PRAEFATIO

Olympiodori Alexandrini philosophi in Platonis Gorgiam commentaria anno 1848 primum edidit vir doctissimus Adalbertus Jahn (Arch. f. Philol. u. Paed. XIV) sed deteriores libros secutus, qui una cum ceteris novellis ex codice Marciano Graeco 196 fluxerunt. Via igitur in verbis constituantibus sequenda satis simplex erat; codicem enim illum vetustissimum, de quo inspicienda est praefatio editionis commentariorum in Platonis Phaedonem, huic editioni solum subieci, ut ab eo tantum discederem, ubi manifesta habeat vitia, quae paucissima sunt.

De quaestionibus ad argumentum pertinentibus in libello lingua vernacula complures annos abhinc elaborato disserui, quas autem in prolegomenis Olympiodoricis, quae editioni ceterorum commentariorum addam, spero me brevi fusius pertractare posse; quo loco etiam de apographorum inter se cognatione vel affinitate, quaestiuncula sane quae in verbis recensendis nullius momenti est, si contigerit tamen disputabo, quandoquidem ea ratione studia temporibus litterarum renascentium in philosophia neoplatonica collocata non obiter adumbrentur.

Scribebam Hauniae a. d. VII Id. Iun. MCMXXXVI.

William Norvin.